

COMMENTATIO CONTINVATA
DE
POESEOS BIBLICAE EXEGESI POETICA
INVITATIONI DECENTI
AD PANEGYRIN SOLLEMNEM
S V B
INITIVM ANNIVERSARIAE GYMNASII LVSTRATIONIS
D. XXVIII. IVL. A. C1813CCLV.
HORA VIII. MATVT. CELEBRANDAM
PRAEMISSA
A
IO. HENR. STVSS
GYMN. RECT. ET ACAD. REG. PRVSS. SCIENTIAR. COLLEGA.

A H M M A T A.

- I. Prolegomena historica. II. Brontotheologiae Dauidicae specimen e psalmo XVIII. III. Cherubim sunt angeli tonantes. IV. Tales fuerunt custodes paradisi. V. Specimen alterum Brontotheologiae Dauidicae e psalmo XXIX. IV. Inuitatio ad audiendam recitationem.



I.

eminerunt sine dubio, qui exiles huiusmodi paginas respicere dignantur, Lectores humanissimi, me proximis hisce annis versatum esse in illustrandis argumentis ad poësin sacram pertinentibus, de epopoeia christiana, atque Iobaea, de exegeſi, deque imitatione poëſeos biblicae; neque minus recordari, si lubet, poterunt, istis me commendationem historiae patriae, et memoriam SIBYLLAE CLIVENSIS, venerandae illius magnorum Principum Saxoniorum progenitricis, inseruisse; iuvenesque, manu in amoenissimum illum campum ductos, de nonnullis e domo Saxonica Principibus, GEORGIO DIVITE, HENRICO PIO, MAVRITIO, nec non de Coniugibus serenissimis, iisdemque commemoratu dignissimis, nempe de ANNA DANICA AVGVSTO ELECTORI, de DOROTHEA SVSANNA PALATINA IO. GVILIELMO, de SOPHIA WIRTEMBERGICA FRIDERICO GVILIELMO PROELECTORI, de DOROTHEA MARIA ANHALTINA, illa tot Heroum, et nouae stirpis Vinariensis ac Gothanae Conditorum felicissimorum, GVILIELMI, et ERNESTI PII Matre, IOANNI SAXON. DVCI, auspiciatissimo connubii vinculo iunctis, publice dicere iussisse. Iam, vti amant alterna Camenae, et vti in schola sunt perpetuae

tuæ praelectionum vicissitudines, historicis iterum miscere lubet amoenitates poëticas, speciatim ad argumentum *de poësis biblicae exegefi poëtica* pertinentes.

II. Ex hoc ipso vero latissime patente campo particulam aliquam seligere, atque vnice iam ferne immorari lubet illis magnificis, maiestate plenis, et sacrum horrorem incutientibus, quae passim in diuino codice, et maxime in Psalmis Dauidicis occurrunt, descriptionibus Dei tonantis atque fulgurantis. Harum primam exhibet *Psalmus XVIII. a versu VIII. ad XVI.* Iam, missis, quae facile conferri ab intelligentibus poterunt, verbis Hebraicis, et versionibus variis, non nisi paraphrasin *BVCHANANI* adseribo: quem classificum quasi Dauidis interpretem, poëtam summum poëtico sermone disertissimè explicantem, dixeris, et quo sacrum illud *Ψαλμ* diuini vatis nemo mihi feliccius adsecutus videtur. En illam ipsam!

*Ille super solio residens flammantis olympi
Audiit orantem: postquam peruenit in altum
Clamor, et attentas aduertit questibus aures;
Protinus e vultu Domini conterrita tellus
Intremuit, montesque caua compage soluta
Nutarunt, penitusque imis fremuere cauernis.
Fumeus adflatu de naribus aestus anbelo
Undabat: rapidae contorto vertice flammae
Ore fluunt, vnaque animant attacta fauilla:
Vtque suum Dominum terrae demittat in orbem,
Leniter inclinat iussu fastigia caelum:
Succedunt pedibus fuscae caliginis umbrae.
Ille vehens curru volucri, cui flammæ ales
Lora tenens leuibus ventorum adremigat alis,
Se circum furuo nebulæ inuoluit amictu,
Praetenditque cauis piceas in nubibus undas.
Acribus ex oculis vibratae spicula flammae
Discutiunt tristes claro fulgore tenebras.
Inde ruit crepitans lapidosæ grandinis imber,
Discursantque vagæ sinuosa volumina flammae.
At vero vt sancto sermone silentia rupit,
Protinus horrifico tonitru caelum omne remugit,
Grandinis et crebra tellus crepitante procella
Pulsa sonat, ruptisque micant e nubibus ignes,
Flammiferæque volant magnum per inane sagittæ,
Fulguraque ingeminant: laticum concussa lacunas
Pandit hians tellus, et fontibus ora relaxat;
Succutiturque pauens, et fundamenta reuelat,*

Et

*Et referat chaos. Aeterni sic vox tonat oris,
Sic formidandae graue spiritus infremit irae.*

Iam admirabilis illa hypotyposis, illa maxime emphatica et θεοπετώσ a sacro vate efficta imago Dei descendentis, et caelos inclinantis, hoc est, nubes, quae caelorum nomine saepius veniunt, ad terram propius demittentis, sicut in magnis tempestatibus euenire solet, caligine picea nubium imbriferarum tecti, naribus fumantibus iram spirantis, flammis coruscantes ex ore emittentis, curru cherubico inuecti, alis ventorum volantis, quam graphice, quam plene, quam ad percellendum apte repraesentat poeta Latinus! Qui et in paraphrasi sua Psalmorum Dauidicorum hoc habet eximium, quod singulos maxime conuenienti carminis genere, uti hunc ipsum heroico, expressit. Fieri enim non potest, ut elegia aut iambus, nisi forte sit scazon, heroici carminis maiestatem adsequatur. Inter genera vero lyrica quasi heroicum est, quo et Horatius felicissime adsurgit, Alcaicum; quo et Buchananus Horatium admirabili sublimitate et elegantia saepe numero aemulatur. Sed haec ὡς ἐν παραδῶ.

III. Lubet nunc Lectoribus intelligentibus expendendam proponere, cum ad argumentum hocce quam maxime pertineat, celeberrimi Academiae Georgiae Augustae Professoris, IO. DAVIDIS MICHAELIS, sententiam de *Cherubis*, qua Israelitis eosdem illos fuisse adferit, qui Latinis *equi tonantes* dicuntur, quales memorantur ab Horatio lib. I. od. XXXIV. Proposuit illam vir πολυμαθές αἶσος commentatione inserta commentariorum Societatis regiae scientiarum Gottingensis tomo I. (a) Summam eius in praemissa huic operi recensione lucubrationum, pag. LXXXI. ita tradit: *Hebraeorum Cherubos, satis haecenus celebratos, minus notos, curatius describere ea commentatione adgressus sum, quae die III. Iulii recitata est. Erant illae, figuram si spectes, sphinges, ad morem Aegyptiorum ex homine, quadrupede, et volucris compositae: reuera equi tonantes poetarum Hebraeorum, quibus ut imaginibus iam magnorum regum, iam beatorum animorum, iam angelorum, uti nonnumquam solent. Ut vero equi tonantes Latinorum et Graecorum non semper aliquod animans exprimunt, sed vel hoc solum significari potest, Iouem tonare, si eum equis tonantibus vebi legamus: ita et in scriptis Hebraeorum usu venit. Collocatos ante Paradisuum Cherubos cum dicit Moses, id poetice dicit, verbisque prisci carminis historici, crebras tempestates hominem aditu paradisi fulminum horrore prohibuisse: atque David cauens, Iehouam Cherubis vehi, hoc canit, eum tonare. Est etiam ubi Cherubi ipsos ventos, et Aeoli tamquam quadrigas simulant, quibus tempestates feruntur, Deique tonantis currus. In ipsa vero tractatione verba diuini scriptoris de Cherubis, et flamma gladii sese vibrantis, ante hortum Edenis collocatis ad seruandam viam arboris vitae, repudiato*

(2

vul-

(a) Editio Gottingae 1752. pag. 157.

vulgari sensu, ita exponit. (b) *Equidem fulminis telum ac perpetuas tempestates intelligo, quas paradiso incumbere iussit Deus, ut eo terrore Adamum ab arbore medica arceret. Poëtica, fateor, locutio: verum Moses historiam non sine auctore scribens, atque carminibus veterum historicis potissimum usus, ipsa facie carminis verba seruat, qua est casta fide scriptor. Insigne rei exemplum habemus cap. IV. 23. 24. quae verba ex carmine hausta sanus nemo negauerit, neque adfirmauerit, Lanechum illo cothurno in colloquendo cum vxoribus usum esse. Liceat nobis Latino carmine verba Mosis exprimere, et vestrarum aurium iudicio experiri, audaciusne orientales poëtae nostris cecinerint, insolentiusue nos eorum carmina interpretemur, quam nostra exponi solent.*

Fulminis hic telum omnipotens, currumque tonantem

Constituit, scelus effrenum rutilante coercens

Flamma: mortales sacrum ne inuadere pomum

Ausi, immortales fierent, innoxiaque essent

Crimine furta nouo.

IV. Equidem in gratiam Lectorum, non statim reiicientium, sed perpendere dignantium, quae vulgo *παράδοξα* putantur, heic addo singularem admirabilis illius HVGONIS GROTIJ verborum Genes. III. 24. expositionem, quae ita habet. CHERUBIM ET FLAMMEVM GLADIVM. Mos Hebraeis omnia Dei opera, quibus extra ordinem Deus vtitur, adpellare angelos: vt ventos et ignem Psal. 104. 4. Sic quod in Psalmo 18, 10. Deus *insidere Cherubino* dicitur, Ps. 104 de ventis exponit. Est ergo et hic *ἐν δὲ δύοϊν*, Cherub, et *flammeus gladius*, pro Cherub, i. e. *flammeus gladius*. Pro *flammeo gladio* Hebraeus textus habet, *להט החרב*, *flammam machaerae*. Machaera autem hic significat diuisionem, vt Matth. 10, 34. collato loco eiusdem dicti Luc. 12, 51. Nam quod ibi est, *μάχαιραν*, hic est, *διαμερισμόν*. Solent autem Graeci promiscue pro *חרב* ponere *μάχαιραν* aut *ῥομφαίαν*. Sensus ergo est, igne imperuio obseptum paradisum. Est in Babylonia campus interdiu flammans, Plinio memoratus lib. 2. cap. 109. et in eadem Babylonia tractus Naphthae plenus, cui magna ignium cognatio, vt praecedente capite dixerat idem Plinius. Curtius iisdem in locis cauernae meminit, ingentem vim bituminis effundentis. Id bituminis genus ignis rapidissimum *Naphtha* vocabant Babylonii, de quo vide Strabonem lib. 15. Multa de eo Plutarchus in vita Alexandri. - In illis igitur locis Paradisus fuerit: estque bitumen ibi non minus quam apud Sodomam ignis diuinitus immissi reliquiae. Haec quomodo refellere studeat CALOVIUS, in eius *Bibliis illustratis* legere poterunt, quibus lubet et vacat. Neque vero exiltimandum, haec vni Grotio primum in mentem venisse. Siquidem iam in notis, editioni maiori versionis Bibliorum Latinae IUNII et TREMELLII additis, eadem sententia, sed cauta cum *ἐπιπέσει*, proponitur,

(b) *Paragr. IV. pag. 167.*

nitur: et hisce antiquior MUSEVLVS commentario in *Genesin* ita scribit: (c) *Quod flammam gladii concernit, cum illis sentiamus, qui flammam e sinu telluris ad paradisi ingressum excitatas, et hic numerum singularem pro plurali positum esse arbitrantur. Nec necesse est, ut cogitemus, volucres illas horribiles, (tales enim per Cherubim designari putat) et flammam ignis vno fuisse et eodem loco constitutas, sed sic positas, ut locis diuersis omnem Paradisi aditum prohiberent.* Consentiant etiam auctores der *allgemeinen Welt-Historie*, ipsissima Grotii verba, et adlegata, nulla eius mentione facta, exhibentes. (d) Quid? si, minime heic admittentes *év δία δύοιν*, coniungamus vtrumque, et circa aditum paradisi in campis Babylonicis credamus per spatia locorum haud exigua, idque per longum satis tempus durasse horrenda tonitrua et fulgura, per Hebraicum, *Cherubim* denotata, nec non flammam e terra erumpentes, per *flammam gladii sese vertentis* designatas, miseros protoplastos aditu paradisi terribili plane ratione prohibentes? Quid? si versum illum Germanice ita interpretemur: *Er lagerte, oder ließ wohnen, ließ lange verbleiben von Morgen her gegen den Garten Eden Donner-Engel, (anhaltende Donner-Wetter) und gleich einem schnellgeschwungenem blitzendem Schwert hin und her fahrende Feuerflammen.* Certe, si hodieque ob perpetua ferme tonitrua horrificum est Africae promontorium, *Sierra Liona* dictum, si formidanda fuerunt veterum *Acrocerania*, si existunt hodieque, vti existere in comperto est, flammam et fulmina, e terra erumpentia; quidni talia etiam circa paradisum, ad miseros exsulés aditu arcendos, diuino nutu, atque ministerio angelorum existitisse, satis probabiliter existimemus? Inter antiquiores iam LACTANTIUS (e) scribit: *Deus eiecit hominem de paradiso, sententia in peccatores lata, ut victum sibi labore acquirerent, ipsumque paradysum igni circumvallauit, ne homo posset accedere.* Inter recentiores eandem sententiam amplectuntur b. IO. FRANC. BVDDEVS, (f) et G. G. ZELTNERVS, quippe qui ad verba, mit

(3

einem

(c) Adlegantur haec Musculi a GLASSIO *Philol. S. lib. V. tract. I. cap. X. Vbi agit de metaphora ab angelis, p. 1664. edit. Lips. 1725.*

(d) *Tom. I. p. 141 seq.*

(e) *Diuin. Instit. lib. II. cap. XII.*

(f) *Histor. eccles. V. T. Period. I. Sect. I. §. XXVIII.* Iam si cui ex versione Germanica, vel (liceat paulisper ludere) e pictura, quales existant, Cherubi cum gladio flammante constituti ad portam paradisi, muro excelso circumdati, hanc explicationem impugnare libeat, illum suo sensu abundare facile patiar. In gratiam autem Lectorum, talia curatius nosse cupientium, haec addo. Non dicit Moses, vti nos, duce Luthero,

legimus: *Er lagerte vor den Garten Eden den Cherubim mit einem bloßen hauenden Schwert.* Sed hoc dicit, quod vel SEB. SCHMIDIO, satis presse ad litteram vertenti, credere possunt, qui Hebraice haud didicerunt: *Habitare fecit ab oriente horti Edenis Cherubim, et flammam gladii hinc inde vertentis se.* Nempe, quod Lutherus transtulit; *vor den Garten Eden, manifeste est, vom Ausgang dem Garten Eden, seu von Morgenwärts her gegen den Garten Eden.* Vnde patet, valde conuenienti ratione versus plagam occidentalem e paradiso eiectos esse protoplastos, ita vt orientem versus illum respicientes, nil nisi fulmina horrenda, et flammam hinc inde erumpentes viderint. Tum in omnibus Bibliorum

einem bloßen bauenden Schwert, breuem hanc adiicit glossam, das ist Flamme in Gestalt eines hin und her geschwungenen Schwerts.

V. Ceterum Germanice, idque oratione cum soluta, tum ligata, hunc ipsum Psalmi XVIII. locum expressit idem noster, quem a pluribus legi velim, felix aequè poëta ac interpres, praefatione, zu *Job. Fried. Loewens poetischen Nebenstunden, von dem Geschmack der morgenländischen Dichtkunst.* Ibidem etiam sententiam suam de Cherubis, quod sint Latinorum equi tonantes, satis dilucide exposuit, et ad rectius intelligendas visiones Ezechielis cap. I. et X. adhibuit: id quod et laudata *commentatione de Cherubis §. II.* factum, Ex hisce vero iunctis, si respicias Ezech. cap. I. v. 24. 25. & cap. X. v. 5. quasi demonstratione quadam exegetica conficitur, Cherubos, seu Cherubim, nihil aliud esse, quam angelos tonantes, *Donner-Engel*; vti Seraphim, ab etymo שרפ, manifeste, agnoscentibus etiam Hebraeis, sunt מלאכי אש, *Feuer-Engel.* Iam, si quaeratur, quomodo quam optime intelligi queant, quae dicto cap. X. 14. nec non l. 6. de quadruplici facie Cheruborum, prima Cherubi, altera hominis, tertia leonis, et quarta aquilae, leguntur? mihi quidem quam maxime probabilis videtur sententia, minus quidem vulgo recepta, Grotii, et Spenceri, qui statuunt, non effingenda esse quatuor distincta capita, sed coniungenda in vno Cherubo vultum humanum, et cervicem leoninam, iubis noscendam; tum axillas instruendas alis aquilinis, nunc quatuor, vti apud Ezechielem, nunc sex, vti in Seraphis apud Iesaiam, et in Cherubis, Apoc. IV. 8. quodque vulgo vertitur, *quatuor facies*, rectius exponi, cum sit מרובי עז Ezech. I. 5. *quatuor formas sine similitudines*; pedes vero Cherubis tribuendos esse, vti et more iam receptum, vitulinos, Ezech. I. 7. interprete Zeltnero. Ceterum quod vox Cherub *bonem* designet, (forte a Syriaco *carabh*, arauit,) manifeste patet ex collatis locis, Ezech. I. 10. et X. 14.: atque hoc schemate etiam adparuisse Ioanni τὰ τέσσαρα ζῶα cherubica, locus Apoc. IV, 6. seq. docet. Adde ex eadem praefatione Nostri explicationem, etiam poëticam, loci perobscuri Ezech. XXVIII. 14. Ita autem illa habet. *Zur andern Zeit sechinen die Blitze den morgenländischen Dichtern Funken zu seyn, die der Wagen Gottes, oder die Füße der Cherubinen aus den Steinen schlagen, über die sie fortgerissen werden. So sind die Worte Ezechiels zu verstehen, wenn er Cap. 28. v. 14. die Macht des Königs zu Tyrus beschreiben will, der gleichsam aus sichern Höhen den Blitz des Krieges auf wehrlose Völker geschwenkt habe. Er schreibt: Du warst ein Cherub -- ich setzte dich auf den Berg deines Gottes, und du wandeltest unter den Feuersteinen. Das ist:*

Die

Bibliorum nostrorum editionibus nimis superstitiosè mansit illud, den *Cherubim*, cum vox sit numeri pluralis, cuius singularis est *Cherub*, adeoque legi debebat, die *Cherubim*,

vel absque articulo, *Cherubim*. Denique aliud est, mit einem bloßen bauenden Schwert; aliud, quod Moses dicit; und die Flamme eines sich hin und wieder kehrenden Schwertes.

*Du zogst den Wetterwagen
Des Ewigen, vor dir erschrak ein niedrig Land.
Wo seine Räder Blitz aus Feuerfelsen schlagen,
Da gieng dein sichrer Fuß, und streute Tod und Brand
Auf ein erbebend Volk.*

Quae praeterea in praefatione illa, nec non in eruditissima illa commentatione iam laudata, specimen (*Abwardo* in sua *Brontothologia* plane intactum,) Brontologiae cherubicae atque poeticae, exhibente, de Cherubis, tamquam simbolo Dei tonantis, in sacratio et penetrali templi, primum portatilis Mosaici, ac deinde magnificentissimi Salomonei, collocatis, vnde et fulmina enecantia erupisse legimus Leuit. IX. 24. et & X. 2. de locis Dauidicis Ps. LXXVIII. 18. LXXXIX. 1. CIV. 3. 4. de quadrigis in visione Zachar. VI. descriptis, deque aliis ad hoc argumentum facientibus, traduntur, ea non sine voluptate a pie curiosis Scripturae S. scrutatoribus legi poterunt.

V. Accedamus nunc ad psalmum Dauidis XXIX. quem peculiari commentario illustravit, et in ipso titulo *tonitrualem* vocavit S. R. CHRISTOPH. AVG. HEYMANNS, de exegefi sacra dudum praeclearissime meritis. (g) *Ostentum*

(g) Commentarius ille ad disputandum propositus est Gottingae die XIX. Augusti 1711. exhibetque duas paraphrasas poeticas, Ge. Buchanani, et Arturi Ionsoni, utriusque Scoti, et huius quidem e poematibus editis Middelburgi 1642. Ex utraque, inquit auctor §. V. (iudex sane harum rerum idoneus, atque hoc exemplo offendens, quantum in exegefi diuinatorum, quae scriptura sacra exhibet, carminum, praesent poetarum) adparebit, nihil esse hac oda concinnius, nihil grandiloquentius, nihil elegantius. Mibi certe, etiam diligenter ac diu inuestiganti, non occurrit vllus e Graecis Latinis poeta, qui exhibuerit, non dicam pulchriorem, sed aequae pulchram ac nitidam tonitruu grauioris descriptionem et *ποσειδων*. Subiungit notam sequentem. Quae tonitruu descriptio in Hesiodi Theogonia occurrit v. 839. seqq. ea longe minus viuida est descriptione Dauidica: itemque ea, quae in Virgilio Georgicis reperitur lib. I. 322-34. Praeposuit etiam, vna cum psalmo Hebraico, cuius verba merito dicit sonantia, atque tonantia, versionem SEB. SCHMIDII, addita hac admonitione graui ac necessaria: *Caveat vero lo-*

*tor, qui sermonis Hebraici ignarus est, ne ex hac versione iudicium ferat de Dauidici carminis elegantia. Suis cuique linguae genius est. Quod Hebraicis auribus optime sonat et admirabiliter, id, cum Latina lingua redditur ad verbum, magnam habet asperitatem, magnam ruditatis speciem. Accidit hinc, ut nonnulli *αυθενται*, Pindari odas longe anteferrent odis regis Hebraici: eodem modo iudicaturi de carminibus Pindaricis, hoc est ea vehementer contenturi, si Graecarum litterarum rudes Latinam inspexissent, vel Germanicam eorum versionem, et quidem eam, quae verbum verbo redderet. Postremo, exhibitae singulorum versuum expositioni suam etiam atexitit paraphrasin Germanicam. In adpendice denique, collatis locis Marc. III. 17. et Lucae XII. 52. seqq. ostendit, quod Christus, dum Iacobum et Ioannem vocauit filios tonitruu, non laudavit illos sed grauius reprehenderit, quod tanta exarserint ira, ut magistrum velent imitari Eliae prophetae exemplum, et fulmina coelo euocare, ad sumendam vindictam de incolis vici cuiusdam Samaritani, a quibus hospitio fuissent exclusi,*

QX II
138

fam nempe, atque hoc ipso commentario extra dubium positum est, quod septies hoc psalmo repetita denominatio קול רורו, vox Iehovae, nihil aliud quam tonitrua et fulgura denotet. Non repeto argumenta, quibus vir celeberrimus, consentientibus etiam magnis quibusdam interpretibus, euincit, psalmum hunc non esse allegoricum, aut mysticum, sed stilo quidem sublimi, at sensu litterali, describere tempestatem grauissimam, quae forte secundum nonnullos, quorum sententiam haud absonam indicat primarius ille Psalmorum interpretes, MART. GEIERVS, illi conficiendo ansam praebuerit. Notanda saltem cenfeo praecipua sacri codicis loca, quibus, praeter hancce huius Psalmi heptada, קול רורו significat tonitru. Sunt autem illa, Gen. III. 8. (b) vbi quidem a paucis adhuc haec significatio est agnita; Exod. IX. 23. 29. Exod. XIX. 16. 1 Sam. VII. 10. Iobi XXXVII. 2. 4. 5. Psalm. XVIII. 14. qui locus supra iam poetice est explicatus; Pf. LXVIII. 34. Pf. LXXVII. 19. CIV. 7. Ies. XXX. 20. Ier. X. 13. LI. 16.

VI. Sed abrumpendum iam dissertationis huius filum, quaeque restant reseruanda recitationi, qua ipse, notis rationibus adductus, lustrationi anniuersariae Gymnasii proludere, deque variis momentis, ad illustrandum Brontotheologiam cherubicam atque poeticam, et explicanda varia scripturae sacrae loca pertinentibus, sermone vernaculo dicere constitui. Iam PERILLVSTRES, ILLVSTRES, ATQVE EXCELLENTISSIMI MAECENATES, EPHORI GYMNASII VENERANDI, VARIAS IN CVLTIVISSIMA HAC VRBE, CELSISSIMI PRINCIPIS SEDE, SPARTAS ORNANTES VIRI PRAENOBILISSIMI, HVMANISSIMI, HONORATISSIMI, MVSAVRVM SACRATORVM AMATORES CVLTORESQUE COLENVI, QVOSQVE FAVTORES ATQVE AMICOS SVO EQVIDEM MERITO COLO, obseruantissime studiosissimeque rogantur atque inuitantur, vt craftina luce hora VIII. panegyri nostrae scholasticae, meaeque recitationi, qua, missis quidem oratoriis, at interiectis nonnullis poeticeis lenociniis, nonnulla cognitu digna, neque ea trita aut peruulgata, in medium proferre conabor, frequentes fauentesque ad breue tempus interesse ne grauentur.

P. P. D. XXVII. IVL. A. CIOIIOCLV.

(b) Licet insignis ille locus, si magnos etiam interpretes, et magna Biblia glossata, cum Vinaricensia, siue Ernestina, etiam ex editione recentiori, tum Tubingensa, species, de tonitru, quae tamen verissima est interpretatio, non exponatur; audiendi tamen et sequendi videntur interpretes duo πολλὰν ἀνταξίαν ἄλλων, nempe, Hebraismi certe callentissimus IO. ANDR. DANZIVS, quo magno Sundbush nostra se potest iactare alumno, et IOACH. LANGIVS. Ille scilicet Interpretis Hebraei cap. III. §. 90. not. o. verba haec Gen. III. 8. ita exponit.

Max audiuerunt vocem Domini Dei, (qualis describitur Pf. XXIX. 3. sqq. horribilem scilicet, cuiusmodi requirebat ipsorum facinus, ad poenitentiam commouendorum) progredientem, vel continuo magis magisque ingrauescentem, (vid. §. 109.) per hortum istum in statu diei; procul dubio vehementiori, cuiusmodi cum tonitru haud infrequens. Hinc et eius fuisse dicitur effectus, quod se absconderint propter iram Domini, quam arguebant inde. Langiana, huic plane ἐκείνης interpretatio legi potest im Mosaischen Licht und Recht ad h. l.

nc



Farbkarte #13

B.I.G.

CONTINVATA
 E
EXEGESI POETICA
 NI DECENTI
 N SOLLEMNEM
 B
 GYMNASII LVSTRATIONIS
 A. CIOIO CCLV.
 T. CELEBRANDAM
 MISSA
 . STVSS
 RYSS. SCIENTIAR. COLLEGA.

A T A.
 eologiae Dauidicae Specimen e psalmo
 tonantes. IV. Tales fuere custodes pa-
 otheologiae Dauidicae e psalmo XXIX.
 tionem.

I.
 o, qui exiles huiusmodi paginas re-
 Lectores humanissimi, me proximis
 m esse in illustrandis argumentis ad
 mentibus, de epopoeia christiana, atque
 deque imitatione poeseos biblicae; ne-
 si lubet, poterunt, istis me commen-
 iam SIBYLLAE CLIVENSIS,
 Saxoniorum progenitricis, inferuisse;
 illum campum ductos, de nonnullis e
 IO DIVITE, HENRICO PIO,
 is serenissimis, iisdemque commemo-
 ANICA AVGVSTO ELECTO-
 A PALATINA IO. GVILIEL-
 RGICA FRIDERICO GVILLI-
 OROTHEA MARIA ANHAL-
 pis Vinariensis ac Gothanae Condito-
 et ERNESTI PII Matre, IOAN-
 connubii vinculo iunctis, publice di-
 Camenae, et vti in schola sunt perpetu-
 X tuae